

LIII M. A. SABELLICI

Guicciardinum Florentinum in primis, qui quanquam suis nonnihil aliquando blan-
ditur, qui fere omnium scriptorum mos est, tamen inter Italos proxime ad verita-
tem accedere mihi videtur. Nec omittendum est, quod mendaciorum suorum con-
scius Sabellicus identidem addit: ut quidam tradunt, iis accedo qui ajunt,
& alia ejusdem notae: quasi incertos rumores, non rem uti gesta est narrandam
suscepit: gesta autem in Venetorum finibus fuit illo ipso tempore, quo historiam
suam ille scripsit: quae si homini Veneto ignota est, quae illi in caeteris ab ejus
cognitione, & tempore & loco remotis fides adhibenda est?

Eae vero Novocomensis & Metensis Episcoporum accusations non
prohibuere, quo minus Enneades ab orbe literato plurimam laudem re-
portarent, ut indicant iteratae ipsarum editiones quas infra recensebi-
mus, non minus quam alia tria scriptorum aliorum opera ejusdem no-
tae: hoc est Blondi Foroliviensis *Decades*, Fr. Jacobi-Philippi Bergoma-
tis *Chronicarum supplementum*, & Raphaelis Volaterrani *Commentarii ur-
bani*; propterea quod sunt veluti universales bibliothecae. Anno
M. D. XV. Joannes Kustuert Veissenstattensis edidit *Hebreorum historiam*,
quam se excerpisse profitetur ex elegantissimis Marci Antonii Sabellici, ora-
toris & historici clarissimi Enneadibus. Ibi nuncupatoria ad juvenem Fe-
dericum, Saxoniae Principem, epistola data est Dresdae XVI. kal. mar-
tias anni M. D. XIII. In fronte voluminis illa perleguntur: *Historia He-
breorum ex elegantissimis Marci Antonii Sabellici Enneadibus excerpta*, ejus
gentis ritus, leges & gesta ab orbe condito ad Jesu Christi tempora (sunt haec
omnia in libris bibliacis, & Josepho uberrime comprehensa) succincte comple-
tens; in septem est partita libros, qui singuli suis quoque capitibus distincti, capi-
tum brevibus argumentis sunt elucidati, & ad laudem Dei impressi. Imprimen-
dam curavit Ludovicus Harnkem Basileae, per Adam de Langendorff, 1515. in
fol. Opus haud absimile sumpsit prae manibus Gulielmus Nicolsius,
homo Anglus literis excultissimus, excusum Londini apud Gulielmum Taylor,
1711. in 12. cum illa epigraphe: *Historiae sacrae libri VII.* in quibus nar-
rantur res gestae veterum Patriarcharum Judaeorum & Christianorum a prima
mundi origine usque ad excidium Hierosolymitanum. Nicolsius ubi lectorem
alloquitur, asserit hoc suum rerum gestarum veterum Patriarcharum
breviarium e Sabellici Enneadibus desumptum esse, quem per honorifice
nominat. Alius etiam trans Alpes vir literatus, labores suos Enneadibus
illustrans impendit: opus vero Lipsiae asservatur in Paullina bibliio-
theca (a). Fuit hic Gaspar Bornerus, qui accuratissime duobus tomis
complexus est *Indices locorum, hominum & rerum in Enneadibus Sabellici
occurrentium*.

(a) Feller.
Catal. co-
dic.msf. Bi-
blioth.Pau-
lin. Lips.
sumtib. Jo-
Frid. Gle-
ditseb, 1686
in 12.p.313.

(b) Sabel-
Epist. lib.
IX.

(c) Ibid.

Eodem anno M. CCCC. LXXXVIII. Sabellici opera excusum est
Romanae historiae compendium, seu *Vitae Caesarum ab obitu Gordiani junio-
ris ad Justini III. exsilium*, auctore Pomponio Laeto, olim ejus magi-
stro, qui anno superiore Coccii judicio & amori opus idem imprimen-
dum commendarat. In meis Caesaribus (Laetus ad Sabellicum (b)
scribit) utere judicio tuo, tuaque lima castigissima, qua nihil accuratius no-
stra novit actas: non repugno; sed acquiesco ingenio exercitatissimo, exactissimo
que. Corrige igitur: emenda; subeaque officium non lectoris, sed auctoris: puta-
que libellum a te amicissimo publicari, qui diligentia veteres provocas. Rescri-
psit (c) cum opusculi laude Sabellicus, fecitque ut non multo post
prodiret e praelo accuratissimo Bernardini de Vitalibus in 4. addita ad
Mar-